

7

causæ jugulum petit . In prima Constitutione , quæ incipit ,
Cum præexcelsa , declarat Pontifex , Missam , & Canonicum
Officium ab se institutum , in quibus Conceptio non semel
dicitur *immaculata* ; easdemque Indulgentias illis attribuit ,
quibus Urbanus Quartus solemne Festum Corporis Christi ,
& ejus Officium Ecclesiasticum ornaverat . In secunda , & ter-
tia , quarum idem initium , *Gravé nimis* , Romanam inquit
Ecclesiam Conceptionis Officium peculiare ac proprium in-
stiuisse . In tertia Conceptionem appellat *immaculatam* . In
secunda vero aperte damnat ut *falsa* , *erronea* , *a veritate aliena* eorum verba , qui dicere , Ecclesiam Romanam cele-
brare tantummodo Conceptionem spiritualem , sive Deipa-
ræ sanctificationem , hoc est sanctitatem eidem tributam tem-
pore incerto post Conceptionem . Neque vero sum nescius ,
fuisse nonnullos , qui hoc secundum Sixti diploma umquam
editum pernegrarent . Quos doctissimi viri testimonio gravissimo
refellerunt Antonii de Monte , qui cum esset generalis
Auditor Apostolicæ Cameræ , ex juris formula de hujus di-
plomatis editione quæstionem instituit ; ac subinde senten-
tiā tulit , ejus autographum se vidisse nec depravatum , nec
ullo modo interpolatum . Cujus testimonium publicis tabu-
lis descriptum est postridie Idus Decembris anno Christi 1504.
Julio Secundo Pontifice Maximo .

III. *Pius Quintus in exordio Constitutionis 114. datæ pri-*
die Kalendas Decembris anno 1570. , quæ incipit , Super Specula : Considerans non sine animi sui dolore (hoc est exordium prædictæ Constitutionis) quosdam diversorum Ordinum Regularis , Clericosque seculares , qui , omisisse , quæ Divinae Majestatis gloriam , & Sanctissimæ Dei Genitricis , aliorumque Divorum venerationem , atque fidelium pietatem promovere poterant , quod Apostolus in quibusdam arguit , languent circa quæstiones , & pugnas verborum , ex quibus oriuntur invidiae , & contentiones , cæteraque vitiorum monstra ; potissimum vero cum de gloriosa Virginis Mariæ Conceptione sermo inciderit , tam pertinaciter pro alterutra par-

te